

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

De fide servanda

Prosperane fuit huius anni aestas Latina? Ambiguum responsum videtur esse dandum. Certe si hornotinas actuositates Latinas conspicimus, licet gaudeamus. Mensibus enim Iulii et Augusti Tiniis in Carinthia et Nicaeae in Provincia iterum celebratae sunt Feriae Latinae, quas ab anno 1981 instituit Prof. P. Suitbertus Siedl; duo etiam seminaria, unum in Helvetia, alterum in Belgica, moderatus est Dr P.C. Eichenseer, qui iam ab anno 1973 rem instituere coepit; praeterea iuniores Latinitatis vivae promotores, Caelestis Eichenseer proles intellectualis, varios festosque coetus Latinos

susceperunt curaveruntque, Robertus Mater Amoeniburgi in Germania et Lugduni in Francogallia, Marius Alexa Ingaque Pessarra Hagae Comitum in Nederlandia. Hoc ergo Latinitati prodest quod occasio sermonis exercendi compluribus locis diversisque temporibus praebetur.

Effectus tamen etiam meliores fieri poterunt, cum actuositatum Latinarum coordinatio praecogitabitur et praesertim cum bonae Latinitatis institutio idoneis adiumentis technicis fulcietur. Nolimus enim oblivisci universalitatem maioris



Multo plus nobis placet pulchras imagines exhibere, quam hoc photographema modo in quodam peditum cuniculo prope domum meam factum. Quod tamen veritatem cottidianam illustrat.

Spurcare, delere, suo privato consilio agere sine ullo ceterorum respectu, hic est effectus hodiernae educationis. "Semet ipsum amare" (I love myself) potius ad amentiam ducere videtur quam ad animi pacem.

G.L.

momenti emolumentum Latinitatis esse. Universalitas quidem servari non potest nisi grammaticam traditam respicimus atque vocabula modo vere Romano novamus.

*
* *

Hac aestate etiam habebatur in Belgica ille conventus Latinus, qui quinto quoque anno auspiciis Romanae Academiae Latinitati Fovendae convocari solet. Quem conventum in Belgicam convocare placuit Professori Iosepho IJsewijn hac una condicione, ut orationes etiam linguis vernaculis habere liceret. Postquam hoc comperi, mihi contigit nonnullos Academiae sodales convenire eosque interrogare quid sentirent de hoc proposito: lamentati sunt et brachia ad caelum tollentes dixerunt: haec est finis Academiae! Nihil plus factum est. Non mirum ergo si hoc conventu abolitum est Academiae propositum primum, sed non ipsa Academia.

Lunae die 2 m. Augusti Lovanii post Latina verba inaugurativa Professoris Ussani, Academiae praesidis, et Anglica verba salutatoria Professoris Geysen Lovaniensis, Professor Iosephus IJsewijn primam orationem habuit c.t. «De Latinitatis cultu et studiis: quo vadimus?» Imprimis distribuit participibus textum suae acroasis, dicens se suspicari plerosque ex auditu vix quicquam intellecturos esse. Pro eis qui Latine nescirent, etiam translatio Anglica adiungebatur.

Orationem suam incohavit quasi esset oratio funebris: «Olim omnes homines culti et eruditi Latinam linguam callebant; hac autem nostra memoria plerique homines et culti et eruditi Latinam linguam prorsus ignorant. Nondum eo pervenimus ut tumulo vel sarcophago titulum insculpere debeamus: "Fui Latinitas" Attamen...». Originem Academiae deinde commemoravit: «Etenim, mense Aprilis anni 1966, id est minus triginta annis ante, linguae et litterarum Latinarum studiosa cohors Romam frequens convenit in studiorum universitatem a Sapientia dictam in eoque conventu votum fecit ut **usus linguae Latinae** in disciplinis excolendis inter doctos doctasque reduceretur et propagaretur. **Quem ad finem tum Societas condita est**, quae paucis annis post in Academiam inter nationes constitutam transformabatur. Huius itaque Academiae socii quotannis Romae die Urbis natali in colle Aventino congregantur, quinto autem quoque anno in aliam urbem **conventum Latine loquentium** convocare solebant. Conventus itaque post Romanum fuerunt ex ordine deinceps Bucurestinus, Melitensis, Dacariensis, Trevericus, Dunelmensis et Erfordiensis».

Nemo ergo de primario Academiae proposito dubitare potest. Addit Prof. IJsewijn: «*Haec omnia ita fieri potuerunt quia tempore primi conventus Romani satis multi supererant docti viri et mulieres, qui Latinam linguam ita callebant ut expedite Latine loqui et scribere possent*». Est revera inversio rerum; cum iam tunc temporis nimis pauci lingua Latina uti valerent, Academia condita est praesertim ut operam daret ad Latinitatem vivam sua auctoritate sua scientia sua cura amplificandam.

Infraveniuntur haec: «*Nemo profecto negare potest hac ultima quarta saeculi parte in scholis, in institutis academicis, in toto cultu civili et litterato orbis occidentalis nonnulla magis esse mutata quam ullo alio tempore antea. Latina lingua, quae olim studiorum erat regina, nunc vix infima admittitur ancilla*». Quae cum legam, facere non possum quin recogitem de monitis, quae iam anno 1956 in oratione inaugurali primi conventus Avennionensis proferebat rector Iohannes Capelle: «*Nisi in usum restituatur lingua Latina, eius cultus mox disperebit*». Et bonus fuit vates...

Prof. IJsewijn etiam dolet Europaeam divisionem linguisticam: «*Nostris autem diebus qui in terra Anglosaxonica natus est vel etiam in Hispanica vel Germanica vel Francogallica, sua plerumque lingua uti potest; nobis autem, quibus est lingua patrum Nederlandica vel Danica vel Croatica aliave quaedam minus late vulgata, nunc quattuor aut etiam plures linguae addiscendae sunt ut audientiam nobis faciamus balbutientes potius quam eloquentes*». In ipsam tamen Academiam Latinam turrim

(sequitur p. 16)



Duobus diebus ante inaugurationem conventus Academiae Latinitati Fovendae, die 31 m. Iulii inopinanter vita functus est Balduinus I rex Belgarum. Ingens fuit populi luctus, extraordinarius fuit totius orbis terrarum amplissimorum hominum concursus ad eius obsequias; nos addemus conexum quendam exstitisse inter nostrum regem et linguam Latinam, ut ex hac inscriptione patet.



DE PLUVIA BRUXELLENSI

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

Narratio, quam vobis hodie propono, a scriptore quodam septimi decimi saeculi conscripta est. Gottifredus Vendelinus (Godefroid Wendelin, 1580-1660) fuit astronomus et geometricus.

Natus in regione Flandrica, studia secundaria apud Iesuitas confecit; philosophiae postea studuit in universitate Lovaniensi. Multis diversisque officiis functus est: Lugduni laboravit apud typographum quendam, scholam condidit in urbe Dinia (v. Digne), Parisiis fuit praeceptor et advocatus, ecclesiasticam vitam post mortem patris elegit. Tunc secretarius factus est episcopi urbis Tornaci, et postea ibidem canonicus. Astronomiam valde calluit.

Latinos conscripsit libros, sicut De diluvio, De

obliquitate Solis, Teratologia cometica, De tetracty Pythagorae, Epistola didactica de calcedonio lapide seu gemma gnostica, Leges salicae illustratae, Aries (carmina elegiaca).

De re quadam extraordinaria, quae Bruxellis die 6 m. Oct. a. 1646 observata est, eodem anno libellum conscripsit qui anno 1655 Londini est editus sub hoc titulo: De causis naturalibus pluviae purpureae Bruxellensis clarorum virorum iudicia. Quid illo tempore Bruxellis acciderit, legatis. Primas lineas sine dubio non mirabimini: illo die mensis Octobris pluit Bruxellis; haec est consuetudo Bruxellensis.

Sed tamen...



nno Epochae Christianae MDCXLVI die VI Octobris, sabbato mane, statim ab ortu solis, hora circiter septima post mediam noctem, Bruxellae caelum, nubibus obductum, coepit eliquare se in pluviam, copiosam quidem illam, sed tepore ipso blandam; quaeque frigoris nihil intenderet, quin imo calorem quoque foveret. Madore igitur omnia diffluere, et in plateis ac vicis rivi decurrere; tecta ubique per canales suos, ac tubos, aquas eiaculari.

Tecta huius urbis pleraque omnia, in ima ora de more canales habent plumbeos, stillicidio sistendo, et quo lubitum est, derivando, per tubos in eum usum compositos: cuius modi etiam habent Patres Capucini, qui de sui templi tecto aquam deciduam inde excipiunt, suppositâ cuppâ intra subdialem aerem peristyllo destitutâ, et dolii magni capace.

Illo ergo iam commemorato die, quid alibi sit actum, aliis in aedibus sacris, profanis non inquirō anxie; apud Capucinos, procedente pluvia, cum iam cuppa repleta non admitteret plures aquas, coepit supereffluere, atque abinde rivum per areolae viam emittere. Quem decurrentem praeteriens forte quidam Patrum, dum (ut fit) adspicit, videt aquam

labi, colore aliquantum peregrino, sibi utique insolito, longe (quam alias semper) obscuriore, itaque attentior paulo, defixisque oculis, advertit rubere illum, et vini speciem aemulari, sive autem sanguinis profluentis imaginem, fando sibi aliquando auditam.

Attonitus novitate spectaculi, Patres ac socios alios advocat, rem narrando praesentem commonstrat. Illi non minus stupentes, ad tinam¹, unde aqua ista manabat conversi, totam quanta quanta plena erat, rubere vident pulcherrimo purpurisso; quam patella adhaerente hauriunt, versant, diffundunt, explorant, contemplantur, demirantur, percelluntur. Inditam deinde vitreis lagunculis, vini rubelli purissimum colorem, eumque saturum referre obstupescunt.

Rumor inde pluviae rubentis in viciniam, et ab hac in alios, et fama sanguineae per urbem, et discursatio populi, et ad Capucinos confluentis, et multitudinis compressio, et laguncularum volitatio, et studium visendo miraculo, et cum amicis ac necessariis cuique suis communicatio; et digna res visa, quae nuntiaretur adunato (tunc commodum) sanctiori consilio.

Ergo et ad aedes amplissimi viri Ioannis Iacobi Chiffletii, archiatri regii, adcurrit post meridiem

Ioannes Mommartius, typographus, deferens ampullam liquore apud Capucinos accepto plenam, narraturus velut in rem praesentem ea, quorum exhiberet fidem. Sedebamus una de rebus aliis disserentes in bibliotheca, cum audita mentione sanguinis, ad vocabulum prosilimus; narrantem ampullamque exhibentem stupemus et cum dicto ad Capucinos procurrimus; hoc tamen me prius meditato, ut de phiala illico chartam madefacerem, colorem, si quem aqua ista relinqueret, exploraturus, postquam mador in siccum abiisset.

Delati ad Capucinos, ibique per confertissimam turbam aegre moliti aditum, denique intromissi, contemplamur omnia, maxime autem omnium ego, qui ante XXXVIII annos, ac menses III, dum agerem in Provincia Massiliensi, meminissem me videre simile argumentum sanguineae pluviae, omnemque illis rationem plenissime tenerem exploratam, ut, an quid huic cum illa esset commune, simul autem an, seu natura, seu casus quidpiam imponeret, explorarem.



ed adversus fraudem omnem, iam quidem ante cautum fuerat, cum cuidam Patrum istorum venisset in mentem, ut (ne tubi vel canalium sordes, vel aliud quidpiam ludificaretur) ad ipsum usque tectum ascenderet, exciperetque illinc aquas caelo deciduas, antequam in siphonem (si forte suspectum) deferrentur; deprehendit enim et eundem colorem, fulgoremque purpureae.

Addebant (quod ego aestimatione rudi facile certum autumo) tinam, ex qua tot iam lagunculae fuerant depletae, plus quam septies potuisse exhauriri, aquae supereffluentis copiâ, quae a nemine adservata dilapsa esset. In quo mihi parum nimis dicere sunt visi, cum pluvia haec per totas horas octo, a septima matutina in tertiam postmeridianam continens fuerit.

Cum primum adverti coepit, color fuit purpureus, rutilans, rosae Alexandrinae, aut vino purpureo rubello aemulus in splendorem, ipsissimumque iam (si accederet sapor) vinum. De qua tinctura paulatim coepit remittere post meridiem, factum abinde dilutius, sensimque flavescens. Diceres mane expressum naturae torcularibus vinum; a meridie, loram. (...)

Ceterum dum ad Capucinos sumus, incessit me cupido gustandi liquoris tam pellacis: sumpsi nonnihil ad experimentum primi palati; sorpsi etiam plusculum. Sapor mihi visus subacidulus. Diceres Spadanam² aquam iam effetam atque evanidam, aut qualis esset ea in quam fuligo

decidisset ex camino aliquo, sive ea in qua lignum putrescens natitasset, quod ego tunc illic tinae vitio imputavi, nihil culpandae tamen, sicut mox apparebit.

Satis spectatum, satis exploratum admissi, digredimur inde; quodque officii erat, properamus ad Illustrissimum Dominum Antonium Bichum, Abbatem Sanctae Anastasiae, Iurisdictionis Apostolicae per Belgium et Burgundiae Comitatum, cum Nuncii facultatibus Administratorem, commune cum illo facturi quidquid rescissemus. Illum vero invenimus iam horum gnarum, intellegimusque etiam aliis in aedibus per urbem eandem pluviam notatam. (...)

Historia ergo rei transactae sic se habet, quomodo eam oculatus testis exposui.³

Gottifredus Vendelinus, De causis naturalibus pluviae purpureae Bruxellensis, clarorum virorum iudicia, Londini, 1655

CENSURA

Historia prodigiosa pluviae quae Bruxellae decidit VI Octobris MDCXLVI Eruditiss. calamo Clariss. D. Gotifridi Vendelini exarata Iudicioque Amplissimi D. Chifletii Archiatri Regii examinata atque illustrata, utiliter excudetur, ut homines videant Mirabilia opera Domini, et per veram paenitentiam ad eum conversi, orent in bonum monstra illa converti. Actum hac VIII Octobris MDCXLVI.

HENRICUS CALENUS

ARCHIDIACONUS MECHLIN. LIBRORUM CENSOR.

ADNOTATIONES

- 1 *tina* = cuppa.
- 2 *Belgae lectores sine dubio statim intellexerunt quid esset aqua Spadana: agitur enim de aqua minerali urbis c.n. Spa. «Effeta» est si bullae non iam insunt.*
- 3 *Quod ad hanc pluviam purpuream explicandam pertinet, Vendelinus magnum commercium epistulare habuit cum scientificis eiusdem aetatis. Haec est eius explicatio: solum Brabantinum refertum est bitumine et vitriolo, quibus est purpureus color. Ergo bituminosi vapores, in altum delati, in nubibus mixti sunt, unde pluviae color. Philosophus Cartesius ipse scripsit se huic sententiae assentiri. Nihilominus, si haec causa vera esset, cur talis pluvia purpurea postea iterum non iam apparuit?*



"EGO TE HINC FORAS EICIO!"

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

«Nuper cum in Universitate Granivicensi lectiones haberem de arte rhetorica antiqua, forte inveni sermocinationem anno 1934 editam, quam ita lepidam esse censebam, ut cursum finiens haud alienum existimaverim in nostrum saeculum transire et eam pro culmine finali lectionum discipulis meis recitare. Neque spes me fefellit; studentes enim

eam cum plausu acceperunt. Paucis diebus post mihi in mentem venit eandem libere in Latinum convertere.» Quem iocosum textum ab Erico Palmén e Finnico in Latinum sermonem versum lectoribus hic proponimus. Finnica autem comoediuncula scripta est a sermocinatore cui fictum nomen erat «Olli» (= Olavus) editaque die 18 m. Sept. a. 1934.

PERSONAE ET SIGLA EARUM

Rhetor Supervirtuosus = Rh.Sup.virt.

Inspector Reservationum Stativus = Insp.Res.Stat.

Vir Immani Corporis Magnitudine = V.Imm.Corp.Magn.

- Insp.Res.Stat. Esne tu Rhetor Supervirtuosus, praeceptor recitandi et declamandi?
- Rh.Sup.virt. Recte divinavisti: ego sum Rhetor Supervirtuosus, recitandi et declamandi praeceptor.
- Insp.Res.Stat. Ego autem sum Inspector Reservationum; nomen mihi est Stativus. Saepe accidit, ut mihi necesse sit orationes conspicuas habere. Sed nuper animadvertisse mihi videor orationes meas ab audientibus non satis conspicuas haberi. Itaque artem oratoriam discere cupio.
- Rh.Sup.virt. Egomet libentissime te artem oratoriam docebo. Statimne incipiam?
- Insp.Res.Stat. Potius statim quam numquam.
- Rh.Sup.virt. Optime! Primum quidem nonnihil de accentu disserere velim. In oratione accentus est res maximi momenti.
- Insp.Res.Stat. Sine dubio!
- Rh.Sup.virt. Noli me docentem interpellare! - Ah, quidnam dicturus eram...? Ah, ita vero: de accentu loquebar. Pro exemplo utamur sententia usitatissima: *Ego te hinc foras eicio!*
- Insp.Res.Stat. Ecce sententia maximi momenti!
- Rh.Sup.virt. Iterum tibi dico: Noli me docentem interpellare! - Ad rem revertamur: Scito hanc sententiam variis significationibus, variis coloribus exornari posse. Omnia ex eo dependent...
- Insp.Res.Stat. ...quis illam sententiam dicat et qua ratione!
- Rh.Sup.virt. Quotiens mihi idem repetendum est: Noli me docentem interpellare! - Hmm, omnia ex eo dependent, quo in verbo accentus ponatur. Exempli gratia pronomen *ego* a ceteris verbis accentu distingui potest: *Ego te hinc foras eicio!* Cuicumque ita dixero, is vel ea statim intellet a me ipso propriis manibus se foras electum iri - non a socru sua praesente, non ab ianitore, non ab aedilibus.

Longe alia fit sententia, si accentus in pronomine *te* collocatur: *Ego te hinc foras eicio*. Si quis tibi ita dixerit, vix dubitabis, quin orator tibi ipsi manus sit illaturus - non cani tuo praedilecto neque aliis praesentibus, sive homines sunt sive bestiae.

Etiam adverbium *hinc* accentum habere potest: *Ego te hinc foras eicio*. Quodcumque talia audis, nihil est, cur tranquillum animum perdas. Ex eo quidem loco, ubi tum stas aut sedes aut iaces, certe ab oratore eicieris; sed nihil impedit, quin alibi tuto verseris - exempli gratia in aedibus parlamenti aut universitatis studiorum.

Quid, si orator adverbium *foras* altiore voce quam cetera pronuntiat: *Ego te hinc foras eicio*? Tum comperis nominatim foras te eiectum iri - non in culinam, non in cellarium, non in cloacam, non in receptaculum purgamentorum.

Denique accidere potest, ut ipsum verbum *eicio* ceteris gravius ab oratore emittatur: *Ego te hinc foras eicio!* Quo facto scies iocum a re longe abesse. Tum enim orator te non educet, non efflabit, non te ultro exire patietur, ne calcitrando quidem te ad portam prosequetur - sed proprie eiciet!

- Insp.Res.Stat. Reverendissime Rhetor Supervirtuose, licetne mihi nunc te docentem interpellare?
- Rh.Sup.virt. Licet.
- Insp.Res.Stat. Quomodo pronuntiandum est, si nominatim *ego* nominatim *te* nominatim *hinc* nominatim *foras* nominatim *eicere* volo?
- Rh.Sup.virt. Tum unumquodque verbum accentum habere debet: *Ego te hinc foras eicio!*
- (Subito ianua patescit; ingreditur Vir Immani Corporis Magnitudine.)
- V.Imm.Corp.Magn. Heus vos istic, nonne intellegitis otium domesticum civium isto tumultu turbari? Si alteruter vestrum alterum hinc foras eicere meditatur, quare id non facitis, sed usque ad infinitum vociferamini? Ego illic trans parietem habito. Quo usque tandem abutemini patientia mea? Ea iam in fine est. Nunc *ego vos ambos hinc foras eicio!*
- (His verbis dictis eos ambos inde foras eicit.)

🐉 AULAEUM 🐉

DE NOVIS LIBRIS

Carmina. Academiae Latinitati Fovendae Octavus Conventus, Lovanii-Antverpiae 2-6 Aug. 1993, Turnholti, Brepols, 1993, 63 pp.

Iamiam! Academiae Latinitati Fovendae Conventu vix concluso, in lucem iam eduntur carmina die 2 m. Aug. vespere recitata. Quae proponuntur una cum versione moderna. Auctores sunt Michael Verweij, Andreas Welkenhuysen, Iosephus Tusiani, Thomas Pekkanen, Fidelis Rädle, Valahfridus Stroh, qui non solum sua canunt carmina sed etiam Latinis versionibus ornant versus Caroli Baudelaire, Vidonis Gezelle, Iacobi Prévert, aliorum.

Inter haec omnia vobis elegi quoddam praegaudiolum:

(Fidelis Rädle, *In laudem alaudae*, p. 42)

...

Scio, unde nomen sit tuum derivatum:
Deus, cum te condidit, dedit hoc mandatum:
"creatorem gloriâ numquam tu defrauda,
sed praeclara opera lauda mea, lauda!"

...



Carmen Hungaricum

*Ubique pollent Musae Latinae. Cum saepe ex Iaponia Americave (cfr infra Iosephum Tusiani),
tum hodie ex Hungaria afferuntur carmina, unde Bela Németh hoc ad nos comiter misit:*

Ad Iovem carmen Hungaricum

Iuppiter! regum pater et deorum,
Summa qui poscens precibusque parcus
Damna demittis stolidumque tollis
 Quemque benigno

Fulmine, stirpis nimium ferocem
Qui levem caeli Phaethonta campis
Deicis fortis moderator aequo
 pondere dextra

Quique Troianos Phrygiasque gentes
Permittis salvis iterum Latinis
Urbi condendae operam navantes
 perdere linguam

Perdere et cultus veteres iniquos.
Sanguinis mercem tibi denegatam
Priscus insuetis Numa te volente
 suasit agendis.

Olim tutelae tibi erant eruntque
Regibus nostris decorata scepra
Terras Arpadi Stephanique vises
 corde sereno.

Tu potes solus renovare mundum,
Tu piis aliam dare spei lucem
Tuque defunctis tumulo creato
 condere laudes.



Musica Ultima Thule

(Theodorico Sacré)

cecinit Iosephus Tusiani

Perge, murmur amabile
Vallis Hudsoniae meae,
ut queam nova carmina
aemulantia pangere.
Nil poeta potest dare
si tacet tua musica,
musica, inclita syllaba,
musica, integra pagina,
musica, intima gratia,
musica, altera caritas,
 musica, ultima Thule.

IOHANNIS BAPTISTAE VICI (1688-1744)

EPISTULARUM COMMERCIIUM LATINARUM

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

«... Artes scientiaeque, quas sola philosophia uno tamquam spiritu continebat, hodie divisae et distractae sunt»: verba ea, quae in ipsius Vici opere *De nostri temporis studiorum ratione* leguntur¹, venerunt mihi in mentem cum Vicianas perlegerem epistulas ante hos sex menses in lucem critice editas: Giambattista Vico, *Epistole. Con aggiunte le epistole dei suoi corrispondenti*. A cura di Manuela Sanna (Opere di Giambattista Vico, XI) (Neapoli, Centro di studi Vichiani, 1992; volumen re vera mense Martio huiusce anni typis est expressum). Insunt litterae centenae, epistulae dedicatariae novem; harum omnium scriptiuncularum duodecim Latine sunt exaratae. Opus ergo istud publici recens factum iuris primo aspectu intuenti ut omnibus numeris absolutum, ita omni laude dignum videtur. Illustrantur enim illo opera et vita Iohannis Baptistae Vici (Neapoli, 1688 - ibidem, 1744), philosophi eius aevi facile principis, rhetoricae professoris academici, praeclarissimi scriptoris et Latini et Italici. Accedit huc quod in libro parando codicum et editionum lectiones variantes enumeravit editrix, additis etiam adnotationibus, prosopographia, litterarum non Italicarum versionibus. Denique liber est nitidis typis editus, chartae spissae impressus; idem tamen uno vitio eoque non levi laborat, quod linguae Latinae ignorantiam interdum crassam prae se fert. Nam verba Latina foedis scatent erroribus, compendiis perperam solutis, interpretationibus haud semper fidelibus. Quod ut plane ostendam, exempla quaedam depravatorum afferam locorum; postmodo epistulas duas exscribam integras, e quibus *Melissae* legentes scribendi genera et Vici et eorum qui ad ipsum litteras dederunt aliquatenus cognoscant. Ordinar igitur ab errore quodam inepto, quem, nisi tuis oculis vidisses, committi potuisse negares. Mulier enim docta, quotiens abbreviationibus illis «S.P.D.» vel «S.D.» occurrit, totiens ita supplevit: «S(uae) D(omi)», «S(uae) P(ropriae) D(omi)». Itaque hunc in modum incipit epistula quinta: «Comiti Antonio Coppola Io(hannes) Baptista Vicus S(uae) D(omi)», Italice: «Giovan Battista Vico al conte Antonio Coppola. Casa propria!» Item dies per compendia ascripti perperam leguntur, prave semel intelleguntur. Legitur enim

(ep. 5) «III Kal(endae) Septembris 1703», (ep. 7) «VI Kal(endae) Maji 1709», (app. II,4), «VII Id(ibus) Septembris Anno 1715»; quin immo (ep. 25) «Amstelod(ami) a(nno) d(omini) 8 septembris 1722!» Ceterum «XV Kal(endas, non Kalendae) Novembris» dicitur dies mensis Octobris duodevicesimus, non decimus septimus (ep. 27). «S.R.E. cardinalis» non est «S(uae) R(egiae) E(minentiae) cardinalis», verum «S(anctae) R(omanae) E(cclesiae) cardinalis» (app. II,4 et app. II,7). In app. II,7 legas «Collegii Soc(ietatis) Jes(u)», non «Jes(us)», «Excell(entiae)», non «Excell(entissimae) tuae famulus». In ep. 7 scriptum est: «Orationem perlegi, in qua eloquentiae sophum, professorem vere regium ita miratus sum»; quae verba ita vortit illa: «... Orazione, nella quale ho talmente ammirato il maestro di eloquenza dei sapienti, anzi dei rei...»: interpretis ergo, prae vetustiore interpunctione, uti videtur, a vero abducta, non vidit Vicum ibi appellatum esse sapientem oratorem et elegantem eundemque in regia universitate Neapolitana eloquentiae professorem iusto iure esse creatum. Item ep. 27 ita incipit: «Honorificentissimae literae tuae, Vir Clarissime, quas ad me anno superiore scripseras, hic Neapoli rumoribus agitatae aliter alios [alias editrix] animos affecere. Nam qui viri doctissimi, et optimi nostris Humanitatis originibus favebant...» Ita interpretata est illa: «Le assai onorevoli lettere, famosissimo, che mi avevi scritto l'anno passato hanno generato varie reazioni in questa Napoli turbata dai rumori. Infatti, quegli uomini assai dotti e stimati che discutavano sulle origini della nostra umanità...». Fuerit Neapolis loquax; at ibi disputabatur de litteris, quas ad Vicum dederat Clericus, aliis viris aliter sentientibus: hi enim Vico favebant, illi minime. Gravissime autem peccavit editrix in epistula 97, quam ad Vicum dederat Franciscus Seraus medicinae professor Neapolitanus: in qua ter legit *sine* (additis casibus dativis!) ubi *sive* erat legendum, ter Italice vertit *senza*; et in epistula 25, ubi bis memoratur *Ultraiecti* oppidum, quod illa non solum non noverat (est autem *Utrecht*, urbs Batava), sed etiam interpretata est tamquam si idem valeret ac *foris* (Italice *fuori*). Ceterum interpunctio lectores hodiernos non semel in errorem inducit, ut in ep. 98: «Mitto igitur ad te



pauca illa, quae de Phalangio Apulo hactenus edita sunt Plura; vellem; mittere potuissem»: qui ita verba Latina in publicum proponit causatur religiosam vetustae interpunctionis et primigeniae observantiam, dissimulat linguae Latinae inscitiam. Quorsum ergo hae querelae? Non ut mendis typographicis stomacher, quae vix possunt devitari; non ut iterumque iterumque doleam quod irreparabiliter fugerint tempora, cum viri docti Latinum quoque sermonem praeter patrium callerent; sed ut, quae hunc in modum edit textus, eam haec interrogem: quid si verba Italica eundem in modum edidisses? Nonne statim explosa esses atque exsibilata? Noli erubescere quod Latine minus es docta; age, nil obstat quominus auxilium collegae Latine peritioris implores; tu Italica optime edidisti; te ille minister in Latinis optime edendis adiuvet ad maiorem Vici gloriam.

1. IOHANNES CLERICUS IOHANNI BAPTISTAE VICO (1722)

Clarissimo atque eruditissimo Viro Joanni Baptistae Vico [. ed.] S(alutem) [S(uae) ed.] P(lurimam) [P(ropriae) ed.] D(at) [D(omi) ed.] Joannes Clericus

Accepi, vir clarissime, ante perpaucos dies ab ephoro² illustrissim(i) [illustrissim(o) ed.] comitis Wildenstein opus tuum de origine iuris et philologia [an philologiae?]; quod cum essem Ultraiecti³ vix leviter evolvere potui. Coactus enim negotiis quibusdam Amstelodamum redire; non satis mihi fuit temporis, ut tam limpido fonte me proluere possem. Festinante tamen oculo vidi multa et egregia tum philosophica tum etiam philologica, quae mihi occasionem praebebunt ostendendi nostris Septentrionalibus acumen atque eruditionem non minus apud [omisit ed.] Italos inveniri, quam apud ipsos, immo vero doctiora et acutiora dici ab Italis, quam quae a frigidiorum orarum incolis exspectari queant. Cras vero [veri ed.] Ultraiectum rediturus sum, ut illic per paucas hebdomadas morer utque me opere tuo satiem in illo recessu, in quo minus quam Amstelodami interpellor. Cum [interpellor cum ed.] mentem tuam probe adsecutus fuero, tum vero in voluminis XVIII *Bibliothecae antiquae et hodiernae* parte altera ostendam quanti sis faciendus [faciendum ed.]. Oro te, vir doctissime, si ad me rescribere digneris, me doceas [duceas ed.] an apud vestrates bibliothecas sive publicas sive privatas lateant [latuant ed.] aliqui scriptores Graeci aut Latini aut certe codices [lodimus ed.] eorum, qui iam editi sint, meliores⁴. Fama enim hic invaluit illic etiamnum delitescere, quod nondum lucem viderint, aut certe minus castigata [castigati ed.] edita sint⁵, quod possint [ita coniclo: portant ed.] ex antiquis codicibus meliora fieri. Quod si ita est, fac, quaeso, vir clarissime, ut rem rediscamus, nostros quo

homines bona spe exhilaremus cum audient posse ex Italia exspectari quod rempublicam litterariam exornet et beet. Ea de re scribo etiam ad reverendum Patrem Alfanium, virum litteratum et eiusmodi rerum cupidum, cum quo colloqui poteris, ut si [se ed.] quid spei sit reliquum intelligamus⁶. Vale, vir clarissime, meque inter egregiae tuae eruditionis iustos aestimatores numerato. Pluribus postea, si commercium litterarium inter nos instituisse liceat, de eiusmodi rebus agamus. Iterum vale.

Dabam festinanti manu Amstelod(ami) a(n)te [a(nno) ed.] d(ie) [d(omi)ni) ed.] 8 Septembris MDCCXXII.

2. IOHANNES BAPTISTA VICUS ANTONIO COPPOLAE (1703)

Comiti Antonio Coppola Io(hannes) Baptista Vicus S(alutem) [S(uae) ed.] D(at) [D(omi) ed.]

Duo mihi videntur dubietatum genera, amice suavissime, et alterum ex ingenii acumine, alterum ex rerum ignoratione proficisci. At vereor ne tua percontatio de Biscardiani responsi epigraphe in hac postrema κατηγορία contineatur. Eius enim libri epigramma ita conceptum est: *Epistola pro Augustissimo Philippo Hispaniarum rege, in qua et ius ei assertum, et omnia confutantur, quae pro Investitura Regni Neapolitani* [Neap(olis) ed.] *ab Austriacis afferuntur*, in quo sane si pars illa orationis *et ius ei assertum* vulgari ellipsi verbi est suppleatur, in Latio⁷ prorsus peregrinari videtur, qui ex his verbis hanc non assequatur sententiam: quod ea epistula et ius in Hispaniensem monarchiam Philippo asseritur, et omnia confutantur etc. quae ab Austriacis afferuntur, eoque magis quod *Epistola paulo ante dicitur pro Philippo scripta*. Quamobrem tantum abest ut quid absurdi in eo titulo subsit, ut qui eius vitii Biscardum insimulare velit, ipse mihi mentis omnino absurdae videatur. At si dixeris librorum propositiones quam maxime perspicuas esse oportere, ne lector offendant in ipso limine, in re atque natura recte dixeris, ut in proposito nullus dixeris⁸. Nam eiusmodi ellipsis adeo frequens apud probatos scriptores est usus, ut ubique prostet. Atque in eius rei argumento cum [com ed.] mihi litterae tuae datae sunt, tum ego initium libri XXI historiae Livianae animi causa legebam et numero Hannibalis iconem eiusque primam expeditionem, ubi auctor scribit: «Cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus», supple «erat»; quam mox «id quod rebus gerendis superesset quieti datum» supple «erat», et a vestigio «eaeque neque molli strato neque silentio accersita» supple «erat», et paucis interiectis «Vere primo in Vaccaeos permotum bellum» supple «est». Atque haec intra unius pagellae ambitum apud scriptorem qui neque, ut Tacitus, loquitur praefinito [praefinitio ed.] neque caesim, uti Sallustius, sed qui scriptionis genere excellit maxime perspicuo et

affluentī. Proinde desinas nodum in scirpo quaerere, ut aiunt, et te digna et magis ex usu disputanda porro proponas. Vale multumque vale, et qua plurima salute ego te, tu meo nomine praeclarissimos viros patrem avulumque (*sic! an*

avunculumque?) tuum impertias.

Amo te plurimum de optimis pomis et affatim⁹ ad me missis.

Neap(oli), III Kal(endas) [Kal(endae) ed.] Septembris MDCCIII. ☘

ADNOTATIUNCULAE

- 1 Gian Battista Vico, *De nostri temporis studiorum ratione. Vom Wesen und Weg der geistigen Bildung*. Lateinisch-deutsche Ausgabe (Darmstadt, 1974), p. 146.
- 2 Est minister quidam comitis (non comes ipse, ut autumat editrix).
- 3 I.e. in urbe *Utrecht*, non «fuori».
- 4 I.e. codices meliores eis, quibus adhuc sunt usi editores. Perperam vertit ed.
- 5 I.e. rei criticae ratione minus habita; prave est interpretata ed.
- 6 Eam sententiam non intellexit ed.
- 7 in latio ed., quae vertit «in diritto!»
- 8 I.e. in universum aestimanti mihi recte dicere videris, hic vero erras; nemo est enim quin intellegat. Perperam vertit editrix.
- 9 Adverbium non vertit editrix.

LYSISTRATA

SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

Graeci in antiquis suis theatris libenter solent spectacula praebere. Inter quae ea, quae Epidauri fiunt, eo plures homines attrahunt quod ipse locus videtur magicus: theatrum ingens, pulcherrimum, fere religiosum. Ibi is cui contingit ambulare sine nimia periegetum frequentia, mirum silentium percipit inter cicadarum clamores. In hoc maximo theatro, quo 14.000 homines contineri possunt, tenuissima vox in scaena prolata incredibiliter evolat usque ad ultimos gradus. Est locus vere singularis. At singularior etiam est quotienscumque spectatoribus impletur, qui illuc confluunt ad antiquas adspiciendas fabulas: praeter hominum vestimenta, nihil videtur mutatum, quasi duo milia annorum non essent interea transacta. Vera resurrectio.

Sunt enim Epidaurica spectacula omnia ex operibus antiquis deprompta. Mense Iulio, exempli gratia, proposita est fabula Aristophanis cui titulus est *Lysistrata*, ad quam spectandam sedem praenotaveram. Die statuto, vergente sole, dum populus impatiens clamoribus plausibusque rogat, ut spectaculum incoharetur, ego valde exspectabam, quomodo actores rem essent tractaturi. Haec enim comoedia, quamquam humanitatis plena - agitur de finiendo bello Peloponnesio - scaenis abundat quae nobis



Ecce Lysistrata mulier fortissima. Revera haec Lysistrata moderna non est femina, sed actor Θύμιος Καρακατσάνης, qui videtur esse in Graecia notissimus, quantum ex plausibus datis percipere potui.

hodiernis videntur licentiosae. Ceterum vobis omnia narrabo.

*
* *

Fingamus nos esse in Graecia, anno 411 a. C. n. Aeroplana nondum exstant, neque ordinatra, neque rochetae, neque sclopeta, atque nemo cogitat de ozonio respiciendo. Nolite tamen credere hanc aetatem esse nostrā potioem: nam bella saeviunt. Multis iam ab annis Athenienses et Lacedaemonii opponuntur. Ubique regnat desperatio. In omnibus civitatibus, quae proelia participant, solae manent mulieres: mariti longe absunt, assidue bellant, etiam filii certant occidunturque unus post alterum. Mulieribus nihil relinquitur nisi luctus.

Hoc Lysistrata quaedam Atheniensis non iam vult ferre. Satis superque! Quid agunt viri? Suntne nimis stulti, quam ut bello finem facere sciant? Videntur quidem esse, qui nihil valeant instituere nisi proelia. Ergo cum ipsi, qui pugnent pro Hellade, Helladem nesciant servare, restat ut mulieres eos adiuvent.

Lysistrata suum iam excogitavit stratagema. Sed ut res ad effectum perducī possit, mulieribus communi consilio erit agendum. Itaque illa amicas Athenienses convocat una cum Lacedaemoniis, Boeotiis, Corinthiis, aliis, atque proponit ut suis armis mulieres viros impellant ad pacem faciendam.

Suis armis? Quae arma habent mulieres? Suspicio vos iam intellexisse. Nondum? Nonne intellexistis quibus armis mulieres valeant viros vincere? Neque gladiis, neque hastis, neque sclopeto, neque vi, neque persuasione, sed armis quibusdam femininis. Nam Lysistratae propositum est hoc: uxores maritis, donec bello faciant finem, implacabiliter negabunt... concubitum.

Cuius castimoniae effectus Lysistrata non putat diu exspectandos fore: nam viri, inexpleta cupiditate flagrantes, omnia mox concedent, quae petentur, atque facere non poterunt, quin ad mulierum condiciones descendant pacemque conficiant. Stratagema simplex, sed efficax.

Inde Aristophanes scaenas fingit non omnino exquisitas sed hilares. Imprimis ipsae mulieres abstinentiam non fa-

cile accipiunt atque praetextus multiplicant, quibus fugiant Lysistratae custodiam. Sed viri praesertim patiuntur ultima; unus eorum comice venit ad uxorem obsecrandam.

*
* *

Ex ore meo pudico plura non audietis; plura si vultis, legatis in ipsa comoedia. De quibusdam licentiis adaptandis ad hodiernum pudorem (nolite ridere) ea de causa fortasse angebam, quod moderni theatri non sum satis perita. Celeberrimus tragoedus Francogallus, qui Latine (et iucunde) «Radix» nuncupatur, si huic spectaculo adfuisset, infarctu myocardii statim esset correptus. Moderni autem propiores sunt Aristophani quam Radici; argumentum tam libere quam ille tractaverunt, et fortasse magis.

Praeterea comoediae certe pertinere solent ad risum excitandum, ad spectatores delectandos, ad vitam hilariter ostendendam. Sed Aristophanes longius prospexit. Publicae difficultates ei fuerunt in animo. Voluit enim aequalibus persuadere bellum esse vanum et stultum, omnibus hominibus esse similes indoles, similia commoda, similem humanitatem. Pacem esse bello praeferendam. Sapientiā utendum esse. Hoc etiam in conexu, fabula illa de Lysistrata mirum in modum est moderna. Sed illo tempore homines Aristophanem auscultare noluerunt. Volentne nostro tempore tandem auscultare? Ego paululum dubito. 🐰



Haec imago ea de causa est mala, quod deprompta est e pellicula magnetoscopica noctu facta. Sed eā bene ostenditur scaenarum modernitas. Mulieres, quae hic videntur esse nudae, revera sunt viri vestimentis induti, quae aspectum praebent feminei corporis nudi.

DE CENA ROMANA

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Cibus ac potio omnibus animalibus necessaria sunt alimenta ad vitam sustentandam. Ante multa milia iam annorum venatores cervos apros lepores pisces venabantur fontesque exquirebant herbasque colligebant edibiles sui suorumque nutriendorum causa communiterque talia consumebantur sive circum ignem sub divo sive ante focum in culina sive in triclinio.

Cibus ac potio iam in antiquitate hominibus voluptati quoque fuerunt eosque attraxerunt allegeruntque ad colloquia hilara sermonesque serios serenosque serendos dapesque sapidas fruendas. Persaepe convivae artibus symphonicorum cantatorum cantatricum saltatorum saltatricum virorum iocosorum delectabantur, sed decursu temporum i.e. numero symposium participantium aucto eruditioneque eorum evanescente luxuria ingens gula ebrietas rixae lascivia nonnumquam praevalere coeperunt.

Pacis foedera usque ad hanc nostram aetatem receptionibus publicis epulisque festivis sollemniter confirmantur agendis; collegia artificum certis diebus praestitutis se congregant ad convivia celebranda, viri politici libenter ad «convivium colloquiumque» se conferunt antequam ad res politicas considant tractandas.

Etiam in rebus ad cultum religionemque pertinentibus epulum sollemne iam dudum magni erat momenti: cibi libationesque deis offerebantur; immo vero ad sepulcrum epulum funebre celebrabatur animisque i.e. manibus defunctorum cibi potionesque systemate tubulorum iuvante plumbeorum fictiliumve subterraneorum demittebantur in sarcophagum aut arcam manium nutriendorum causa (*profusio*).

Itemque deis deabusque convivia instituebantur occasionibus inusitatis, e.g. cuiusdam pestis aut calamitatis publicae perniciosissimae. Talia convivia *lectisternia* vocabantur: lecti in templis collocabantur aut nonnumquam in foris pulvinaribus stragulisque strati (ecce locutio: lectum sternere = lectisternium).

Illis deis - saepe agebatur immo vero de 12 deis et deabus - secundum ritum Graecum epula apponebantur quibus dei ipsi interesse putabantur, ergo statucae illorum superiorum ex argilla confectae

pulvinis imponebantur. Cum mortales more et exemplo mensae accumberent, illi dei quoque cubabant inter cenam.

Deabus autem cenantibus sellae offerebantur, quia illis temporibus feminas mensis accumbere non decuit; deabus in sellis sedentibus agebatur ergo de *sellisternio*.

Sellisternia singularum dearum in earum templis habebantur; sellisternia complurium autem dearum in foris locum habebant.

Ceterum natiuitates baptismata nuptiae funera quoque convivii celebrari solebant.

Christiani iam in antiquitate cena sacra erant uniti.

In omnibus stratis socialibus convivium haud ita tantummodo sub specie sollemnitatis, sed etiam tamquam summum socialitatis agebatur et adhuc agitur.

Magni praeterea momenti omnibus temporibus locus erat quem conviva occupabat in triclinio, in sigmate, in sella.

*
* *

Fontes primarii scientiae nostrae pertinentis ad edendi bibendique illorum temporum consuetudines litterae sunt Romanorum, opera scriptorum, poetarum, poemata Martialis, Iuvenalis, opera Senecae, Apulei, Petronii, Apicii, Varronis, Columellae, ubi agitur de alimentis producendis, de methodo colendi, de arte culinaria, de re pecuaria, de venatione, de culinis, de conviviiis, de comissionibus.

Ne obliti simus inscriptionum, donorum supremorum, anaglyptorum, lapidum monumentorumque sepulcralium.

Industriae archaeologorum gratia numerosa testimonia ad consuetudines victumque antiquorum spectantia ad lucem sunt prolata: vasa fictilia, vitrea, metallina escaria vinaria coquinaria promptuaria supellex cyathi trullea caccabi dolia amphorae cribra infundibula lagoenae flacones catini tripodes situlae ampullae urcei cortinae cupellae aliaque.

Utensilia coquinaria supellexque ab archaeologis ad lucem prolata Pompeiis Herculaneisque testimonia nobis sunt maximi momenti quoad scientiam nostram de vita Romana in antiquitate. Non solum domus picturaeque parietariae sed etiam materiae organicae eruptione Vesuvii adhuc sunt conservatae sub saxis liquefactis: mituli, semina frumenti, nuces, ostreae, olivae, grana, cicera, fabae, fici, allium.

Infra maris libram innumerabiles amphorae sunt repertae doliaque partim residuis alimentorum antiquitatis repleta.

In nonnullis Romanorum operibus musivis repertis *asarotos oikos* conspicitur, i.e. pars quaedam pavimenti triclinii repraesentatione reliquiarum cenae luxuriosae a convivis secure humum deiectionum praedita est lapillisque versicoloribus confecta.

Ceterum decursu effossionum panes vel integri immo vero sunt prolati, nuces, olivae, ossa animalium una cum intertrimentis culinarum, quae de victu hominum antiquitatis multa nos docent. Mirum in modum multae ciborum residuae praecipue in culinis domorum obrutarum sunt repertae quae a servis illorum temporum pigritiam laborandi in pavimenta lutosa culinae pedibus erant inculatae, cum illa intertrimenta ad vas pubellianum ferre nollent. Praecipue agitur de ossibus gallinarum, anatum, columbarum, de testis ovorum, cochlearum ostrearumque. Pigritiae ergo servorum ut ita dicam illorum temporum archaeologi nostrae aetatis plurimam debent gratiam.

Paululum aliter res se habent in regionibus extra Italiam sitis, e.g. in Gallia et in Germanicis provinciis, ubi pauca tantummodo in hoc conexu comperimus, quia testimonia scripta ad haec pertinentia vix exstant. Certe, nonnulla fundamenta culinarum, furnorum, tricliniorum sunt effossa, itemque instrumenta agriculturae, vasa, ossa animalium, cibi in sepulcris depositi; multa quoque talia in latrinis antiquitatis reperiebantur.

*
* *

A pud maiores Romanorum cena in *triclinio* aut hiberno aut aestivo sumpta initio e duobus tantummodo constabat ferculis: e capite cenae mensisque secundis; generatim e *pulte* constabat simplicissimisque alimentis, praecipue oleribus carne rarissime apposita.

Erant autem, illic homines negotiosi, qui immo decima hora ad mensam accumberent. Ante nonam autem horam cenare tempestivum aestimabant convivium.

Posteriores autem eorum speciatim inde ab 1° p. Chr. n. saeculo epularum opulentarum cupidi alimentis magnae luxuriae in Italia cultis nullo modo sufficientibus vina sapidissima et exquisita commercio in imperio amplificato ex omnibus terrarum regionibus advehebant.

Tali modo consuetudines quoad cibos praeparandos valde sunt commutatae novaque orta est ars culinaria. Insuper erant qui de die mensae accumbere solerent nihilominusque usque ad horas matutinas modo guloso epularentur.

Paulo post ter in die cibos sumere solebant:

- 1) ientaculum sive iantaculum hora 3a aut 4a matutina;
- 2) cenam tempore meridiano;
- 3) vespertinam tempore postmeridiano prandio adhuc nondum exstante.

Decursu autem temporum vespertinam abolitam *cena* est procrastinata ad horam vespertinam - hora meridiana vicissim inde ab illo tempore *prandium* sumebatur. Multi Romani medicis suadentibus quidem bonae salutis causa aut ientaculi aut prandii renuntiabant modoque modesto plus minusve bis in die cibos sumebant.

Ientaculum sive *iantaculum* cibus levis et facilis, non calidus, cum pane, sale, melle, dactylis apponebatur. Magnam partem agebatur de reliquiis sive residuis ciborum diei pridiani; *sine mensa* consumebatur, «post quod non sunt lavandae manus» (Seneca, ep. 83).

Prandii occasione iterum agebatur de residuis cenae diei pridiani quibus consumptis - iterum sine mensa - meridiatione fruebantur antequam ad thermas aut ad balneum se conferrent. Thermis aetate malorum nondum exstantibus Romani initio lavatrina domestica utebantur.

Cena ipsa divisa erat in partes tres:

- 1) in *gustationem* sive *gustum*
- 2) in *caput cenae*
- 3) in *mensas secundas*

Quod attinet ad *gustum*: agebatur de *mulso* sive *promulse* ad incitandam orexin; cibus ergo erat orecticus, quo consumpto *cena* ipsa vera et propria sequi solebat eaque initio unius tantummodo erat ferculi; decursu autem decenniorum immo vero septem apponebantur fercula.

Gustum/gustatio ergo nullo modo cibus erat verus, sed in «gustatorio» apponi solebat genere repositorii in quo ova cocta quoque erant deposita. Insuper offerebantur brassica, napi, asparagus, lactuca cardui, lapathus, rapae, fungi, ostreae (crudae et coctae cibi frigidi erant, orectici manu

comedendi), itemque pisces salsi (sardi sive sardinae), salsamenta, lacerti, amygdalae, melones, olivae, pavones, phasiani, gallinae, capi, columbae, anseres, anates, turdi, gallinae Numidicae; imprimis autem *glīres* peraeestimabantur, qui in capacibus vasis fictilibus educabantur. Mirum in modum *glīres* ferculum erant summae luxuriae; in omnibus stratis socialibus antiquitatis Romanae nutriebantur et saginabantur ac consumebantur. In ollis specialibus fictilibus operculis obtectis in perpetuis vivebant tenebris ut celerius pingues fierent. Coqui illa animalia in nidis dormientia inter duos suffocabant digitos deinde assabant; melle oblita comedebantur. Parieti interiori talis «glirarii» semitae spiraliter erant impressae in argillam.

Maximi momenti in *gusto* sumendo erant ova (Horatius: sat. I, 3, 6): «...si conlubisset, ab ovo usque ad mala citaret: "Io Bacchae" modo summa voce...» Cena Romana ergo initium sumebat ab ovis edendis, terminabatur in malis sumendis. «Ab ovo usque ad mala» ergo significat: «ab initio usque ad finem». Omnes hi cibi supra enumerati orectici erant et ad resurrectionem conducentes.

Occasione cenae verae et propriae i.e. «capitis cenae» apponebantur: caro muriatica, conditanea, caro assa, caro elixa, caro suffita (i.e. fumificata), cibi piscini; omnia haec plus minusve condita in melle et oleo. De carne quoque ferina Varro refert in *De Re Rustica*, III.

Mensae secundae maiorum modesto more viventium poma erant bellariaque quae una cum vino apponebantur (inde a 1° p. Chr. n. saeculo vinum ad omnia sumebatur fercula) insuper cibi frigidi (ostreae, cochleae, herbae crudeae e.g. lactuca), qui decursu autem temporum initium indicarent cenae verae et propriae, i.e. *gustationem*.

Bellaris subsequentibus denique crustisque pomisque conditis cena concludebatur; perae, morum, rubi, pruna, uvae, cerasium, sambuci, mala ex hortis (in provinciis septentrionalibus) apponi solebant. E regionibus mediterraneis dactyli importabantur, palmae, nux amygdala, malum persicum. Pruna - speciatim Damascena - acceptissima erant ollisque conservabantur. Coqui prunis aequae ac dactylis uvisque utebantur in parandis bellariis ac crustis. Malum persicum vel in Germania Inferiore erat acceptum: multi nuclei illorum malorum a militibus in puteos exspuiti occasione effossionum ad lucem sunt prolati. Dactyli, itemque amygdalae ac nuces pini ex provinciis remotis importati praecipue occasione Saturnalium comedebantur.

*
* *

Venatio leporum genus erat athleticum Romanis acceptissimum. Repraesentatio venatoris Romani leporem in venatione confectum gerentis nonnumquam opere caelato in lapides sepulcrales est incisa (e.g. in monumento sepulcrali Lucii Publici Coloniae Claudiae) aut picta in pictura parietaria.

Mirum in modum phoenicopteri magni aestimabantur, quorum linguae cibi deliciores habebantur, itemque ciconiae, grues, caro pavonis quoque cibus habebatur acceptissimus, quamvis nefas haberetur pavonem comedi.

Ostreae ex Illyria ac e provinciis Africae importari solebant; provinciales autem, praecipue Galli et Germani, helices pomatias sumere satis habebant ostreis generatim magnae attributis luxuriae; nihilominus putamina sive ostrearum testae e fundamentis pavimentisque domuum Romanarum effossa immo vero in imperii provinciis septentrionalibus ad lucem sunt prolata.

Multis Romanis locupletibus non solum erant vivaria piscium, avium ac leporaria, sed etiam vivaria ostrifera quorum animalia hospitibus invitatis occasione gustationis in aqua nivali refrigerata ministrabantur. Talia animalia marina generatim e regionibus maris mediterranei importata immo vero in regionibus remotissimis imperii comedebantur: Bonnae e.g. in urbe Germaniae Inferioris multa putamina ostrearum antiquitatis ab archaeologis occasione effossionum ad lucem sunt prolata. Ceterum praeter cochleas mituli quoque, cibus modestior, apponebantur.


*
* *

Maiores partim in quadam atrii pergula cenare solebant propter focos ibi institutos in domibus urbium («ad focum cenare»), partim in cenaculo tabulati superioris quia propter compluvium apertum latumque in pedeplanis situm conclave ad cenam idoneum non semper praerberi poterat.

Homines ruri viventes in culina se congregabant circum mensam, decursu autem temporum cibos etiam in *triclino* quod dicebatur sumpserunt.

Aetate maiorum cenantes Graeco more circum mensam sedebant; mox autem viri accubare solebant in convivio uxoribus liberisque in cathedris vel scamnis sedentibus servisque aut stantibus iuxta lectos dominorum aut sedentibus in subsellis separatimve ad mensas suas aut in culina epulantibus. Re publica exeunte et viri et uxores accubabant in epulis infantibus una cum parasitis personisque minoris momenti circum mensas segregatas sedentibus.

Cena in triclinio locum generatim habebat in pulcherrimo maximoque conclavi, quod nomen ducit a lecto trium personarum in quo hospites cenae occasione in convivio accumbebant.



Triclinium

(delineamentum depromptum ex: Joachim Marquardt, "Das Privatleben der Römer", Darmstadt, 1980)


Tres lecti circum mensam quadratam - aut rarius rotundam - erant collocati: summus, medius, imus, quorum unusquisque subdivisus erat in locum summum, medium, imum. *Locus honorarius* in lecto summo et lecto imo erat primus locus quia reclinatorium lecti ibi erat situm, quo hospes honorarius commode niti poterat cubito sinistro. *Locus consularis* qui dicebatur locus ergo summi honoris, "imus" erat in medio lecto, domino cenae in lecto imo cubanti propinquo; tali modo totum triclinium habebat in conspectu. Ille locus mirum in modum nonnumquam a quodam *umbra* occupabatur, i.e. persona invitata nullius momenti, e.g. a quodam parasito. Hierarchia ergo locorum non semper erat rigida.

Ceterum latus interius uniuscuiusque lecti altius, latus exterius humiliter esse solebat, ut convivae melius ascendere possent.

Sin autem praeter expectationem pauciores ad convivium venerant hospites invitati, duo tantummodo aut unus solus lectum occupabat aut quidam non invitatus.

Decursu temporum mensarum quadratarum locomensae rotundae instituebantur itemque trium lectorum loco lectus semirotundus in triclinio

collocabatur, *sigma* quod appellabatur sive *stipadium* sive *accubitum* in quo vel duodecim cenantes mensae poterant accumbere.



Convivae nobiles magnique momenti in cornibus sigmatis membra ponebant sua, convivis inexpectatis aut *umbris* sellae praebantur. Mensae rotundae generatim tripedes erant quarum maximum emolumentum in eo est, quod numquam vacillant. Nonnumquam mensae semirotundae aut falcatae collocabantur.

Nomenclatores qui dicebantur munere locorum fungebantur attribuendorum. Loca singula in lectis commodi causa pulvinis erant separata quibus cubito sinistro nitentes convivae digitis manus dextrae cibos e vasis mensae appositis ori afferebant fuscinulâ nondum introductâ - ceterum convivis *mappae* ad convivium erant adducendae.

Primo a.Chr.n. saeculo exeunte tales mappae non solum digitis oribusque inserviebant abstergendis inter epula, sed etiam residuis cenae domina suadente ac exhortante post cenam involvendis: convivis operae ergo erat pretium mappam quam maximam ad convivium secum ducere.

Inde a primo p.Chr.n. saeculo mensae mantelibus erat ornatae, quarum pedes desinebant in palmas leoninas, insuper illarum pedes exornati erant foliis palmae, Sphingis e lapide aut ligno excisis.

(sequetur)

(In proxima Valtheri Fuchs symbola *tricliniarchae* vos invitabunt ad cenam. *Tricliniarii* et *pueri* vobis servient. Multa instrumenta explicabuntur, qua sint forma et ad quem usum pertineant.)

(cfr p. 2)

Babelicam instituere in animo habet.

«At queri de praeteritis, ait, nosque lamentis dare et lacrimis nihil prodest». Certe si hodierna bona essent, si de recentiore statu cultus civilis tantum gandendum esset, de praeteritis non quereretur. Iterum tamen lamentatur Prof. IJsewijn et merito dicens: «Multi etiam non iam curant, subinde et contemnunt ea quae nobis orbis occidui civibus a tot retro saeculis sunt communia, sed peregrina tantum et exotica respiciunt.»

Quamvis, ut ipse confitetur, maneat necessitas Latinitatis colendae, primum Academiae propositum vult suppressere: «Unde colligi potest, immo necessario sequitur veterem nostrae Academiae finem non iam novorum temporum adiunctis satis respondere. Itaque alia etiam via procedamus oportet ut Latinitatem apud nova saecula efficacius foveamus et provehamus». Haec est contradictio interna: nescio enim quomodo Latinitas sepulta foveri possit. Revera ipse Prof. IJsewijn fatetur: «Quae via qualis futura sit nondum plane omnino et clare perspiciamus...»

Nostris temporibus cum agatur de nationibus Europaeis adunandis, ad obstacula culturalia superanda maxime eas adjuvare potest cultus Latinitatis; nam, ut ait Prof. IJsewijn, «Causa est quod ad nostram usque memoriam Latina lingua sola est, quae toti cultui occidentali per omnes generationes et apud omnes populos communis fuit et est, quod et solum est studiorum elegantiorum commune fundamentum». Quare valde miramur quod statim adiungit: «Fieri certe potest ut hoc privilegium aliquando amittat et dies futurus sit, quo die hunc honoris titulum cum recentiore lingua, ut puta Anglica, partiatur». Iam Francogalli ante duo saecula putaverunt suam linguam universalem factam esse et pro lingua Latina substitutum iri. Nolimus nunc idem censere de lingua Anglo-americana, quamquam in nonnullis negotiis propter temporales condiciones ea uti cogimur.

Infra Prof. IJsewijn aliquid dicit, quod pertinet ad affectum: «Restat denique aliquid quod maxime molestum duco: saepius fit ut Latinitatis cultores et cultrices reciproca laborent ignorantia, interdum eheu et -dicere pudet- inimicitia. Qui studiis Romanis

vacant, nonnumquam omnino nesciunt esse et studia mediolatina et neolatina. Idem de peritis mediae et recentioris Latinitatis dici potest. Il qui Latine loqui malunt, interdum despiciunt eos easve qui Latinae linguae monumentis studere tantummodo volunt, et contrarium non minus est verum. Quod si omnes una stare possemus in provehenda re Latina, ubicumque de ea agatur, firmiores multo essemus et efficaciores; maius haberemus, ut cum sociologis loquar, pondus civile et sociale». His verbis quis sincerus Latinitatis cultor non assentitur?

Acta vero cum verbis non congruunt. Saepius enim fit ut ei quibus linguae Latinae usus praesertim cordi est ab eis despiciantur qui Latinae linguae monumentis studere tantummodo volunt. Hoc propositum, quod «scientificum» more hodierno dicemus, multis doctis sufficit et non desunt societates ubi de operibus suis referre possunt linguis vernaculis utentes. Sed valde dedecet tales doctos sedem habere in Academia cuius scopus est **usum** linguae Latinae reducere. Nam non desunt etiam hodie homines docti et seniores et iuniores qui scite et libenter Latine loquantur.

In fine conventus, ut solet, vota a participibus sunt prolata. Prof. Nicolaus Fedorov Moscuensis post conventum dimissum etiam seminarium Vavriense invenire voluit. Unum tantum diem nobiscum manere potuit. Multa Latine narravit, inter quae rem sibi miram, nobis tamen minus. Cum participaret ultimam conventus sessionem, participes fere omnes votum fecerunt ut in posterum usus linguae Latinae in acroasibus prohiberetur! Quod votum si ab Academiae sodalibus comprobabitur logicus finis erit diutinae comoediae.

*
* *

Sic fiet ut ipsi philologi Latini linguam Latinam in sarcophagum includant severa monita neglegentes non mea sed Professoris Erici Burck Kiloniensis praesidis consociationis c.n. «Deutschen Altphilologen Verbandes», qui anno 1956 in primo conventu Avennionensi, dum de pronuntiatu Latino maiorem acroasin facit, monebat ne desinerent alumni «Latine loqui, Latine loqui, iterum iterumque Latine loqui».



Gaius LICOPPE